UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria VI. post III. Quadragesimæ. 21. Deus è malo bonum elicit, homo autem è contra è bono malum educit.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

21. Mulier illa Sunamitis filium ſuum mortuum illi lectulo ſuperimpoſuit quem ſternere ſolebat Eliſæo in domum ſuam divertenti: *Collocavit eum ſuper lectum hominis Dei.* Cur obſecro ſuper hunc viri ſancti lectulum mortuum pueri cadaver collocavit? cur non poſuit eum in proprium ſuum lectum, vel in eum in quo puer dormire hactenus conſueverat? Exiſtimo id eam feciſſe, ut hac ratione ſe de reſurrectione filii ſui infallibiliter ſecutura ſecuriorem redderet, adeo que eam exiſtimaſſe lectum hunc neceſſariæ quieti nocturnæ Eliſæo deſtinatum habere virtutem ſuſcitandi mortuos, prouti revera habuiſſe deinceps compertum eſt: *Cur non in lecto proprio eum repoſuit? Credo quia ille lectulus Eliſæo ex Eleemoſyna datus fuerat, & propterea mirabilem quandam vim reſuſcitandi mortuos quodammodo obtinebat.*

22. Amedæas Dux Sabaudiæ à Principe quodam rogatus, ut canes ſuos, quorum in venatione ſtudiosus eſſet, ſibi oſtenderet; eadem hora qua pauperibus Eleemoſynæ erogari ſolebant, eundem in periſtylium ſive atrium ducalis palatii ſi produxit, eique multos ibidem pauperes commonſtravit, dicendo: *Hi ſunt canes mei quos alo quotidie, quibus cæleſtem gloriam me ſpero venaturum.* Multa hic dicenda mihi eſſent adverſum illos, qui panem beſtiis in magna copia objiciunt manducandum, & Chriſtianis egenis vel fruſtum panis date renuunt. Hi tamen non ſemper ab omni Dei vindicta immunes erunt. Cur obſecro Deus Civitatem Pentapolim igne conflagravit? eo quod juvenculam quandam Eleemoſynariam trucidarint: *Dicunt Hebræi quod quandam puellam occiderunt morte inſolita, quia dederat alimentum pauperi,* ſcribit Lyranus. *Hector in cap. 7. Ezech.* *Lyranus ibidem.*

23. Omnia Epulonis tormenta in unica lingua collecta ſimul erant, ac proinde illius duntaxat petivit reſtigerium: *Ut refrigeret linguam meam;* & meritò, inquit Chryſologus: *Magis lingua uritur & ardet, quæ inſultavit pauperi, quæ miſericordiam denegavit.* Eſtote igitur liberales Eleemoſynarii pauperibus veſtra libenter ſubminiſtrantes, prouti fecit ſocrus ſancti Petri; ego autem præſentem diſcurſum hac peregregia promiſſione terminabo. *Lucæ 16.* *Chryſol. ſerm. 112.*

*Quas Chriſti cauſa miſeris donabis egenis,*
*In cælo æternas conciliabis opes.*

---

## S E R M O XXI.

# IN FERIAM SEXTAM

## DOMINICÆ TERTIÆ

## QUADRAGESIMÆ.

*Venit Jeſus in Civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo.* Joan. cap. 4.

1. Civitas Sichar in tribu Manaſſe ſituata fuit, juxta montem Gariſi, antea vocabatur Neapolis ut refert S. Hieronymus, poſtea autem Sebaſte vel Salem appellata fuit, ut aſſerunt alii, è qua in ſecunda mundi ætate Melchiſedech rex oriundus fuit. Erat autem civitas hæc Aquiloni expoſita, tredecim leucis à famoſa urbe Jeroſolymitanas diſtans; Eratque tum ob ſitus commoditatem, ob ſalubritatem aeris, gentium multitudinem, ſanguinis nobilitatem, & ingentem divitiarum copiam, metropolis totius Samariæ: *Præcipua inter omnes Samariæ urbes*, ut ſcribunt Joſephus Hebræus, & Thomas Beauxamis. In hanc civitatem Verbo Incarnato mulierem quandam veluti nuntiam vel Apoſtolam ablegare complacuit, ut eidem veracius Meſſiæ adventum, nec non & opera miraculoſa in beneficium univerſale omnium hominum redundantia ſignificaret: *Mulier reliquit hydriam ſuam, & abiit in civitatem* *Ioſeph. Hebræus.* *Braux in fer. 6. Dom. 3. Quadr. fol. 195.* *Ludolph.*

*Carthuſ. p c.62. f.145. co.4. Origenes in cat. D. Tho. ibid.*

*vitatem edocta à Chriſto* (ſubjungit Ludolphus Carthuſianus) *ex fervore denuntiandi quæ audierat de Chriſto magnalia*, *monens cives egredi ad videndum hominem, qui dixit ei quæcunque fecerat, etiam occulta.* Et Origenes idipſum confirmat dicens: *Fere quidem quaſi quodam Apoſtolo ad cives utitur hac muliere, adeò eam inflammans per verba, ut iret in civitatem relatura civibus.* Verum dicat aliquis, cur non potius Apoſtolum quendam in eam civitatem miſit, qui ut nomini, quo inſigniebatur, Apoſtoli, factis ipſis reſponderet majori cum idoneitate, atque talento gratias & felicitates illas, quas benigna Salvatoris noſtri manus illis impertiri decreverat, eis annuntiaturus fuiſſet? Fortè id intermiſit, quia cum Apoſtoli ex ſtirpe Hebræa progeniti eſſent, non judicabat conveniens ut *Samaritanis couterentur*: at verò ex quo per neceſſitatem adacti in civitatem abibant, *ut cibos emerent*, poterant utique in civitate jam præſentes exiſtentes, illis quoque gentibus prædicare miracula, quæ in illorum commodum & utilitatem operatus fuerat Rex cœleſtis; aut forte ad id munus experientiorem & aptiorem judicabat mulierculam quandam, quam diſcipulos? fortaſſe Apoſtoli reſpectu hujus fœminæ Samaritanæ balbutientes & ſtolidi erant?

2. Pro hujuſce difficultatis intelligentia obſervandum eſt, Auditores, quod Moyſes in

*Geneſ. 34.* Geneſi ſcribit; In Sichar etenim gentilium ſuperba florebat nobilitas; ibi rerum potiebatur & gubernabat Hemor Hevæus, omnium totius terræ coronarum ſplendor & gloria. Princeps autem Sichem filius ejus Idolum quoddam erat oculorum ſuorum: ac proinde omnes ſubditi infinitas Deo gratias reddebant, ob conceſſos iis duos tam excellentes Principes, qui amabantur pariter & timebantur ab omnibus tam nobilibus quam plebeiis, eo quod juſtitiam in æquali bilancis æquilibrio ſuſpenſam haberent. Per totum Juriſdictionis ſuæ diſtrictum ætatem eliminaverant ferream, ejuſque loco ætatem auream in patrios denuo lares revocaverant. Nullus erat inter cives urbis illius vel minimus inimicitiis locus, quia adverſus omnia invidiæ venena præſervativum adhibebant charitatis. Verùm enimverò ô infauſtus & funeſtus caſus: Eo tempore quo ſub domeſticæ cujuſdam tranquillitatis umbra vivebant, Dina filia Jacob, quaſi novella Helena, cauſa fuit, non jam incendiorum ſed miſerabilis & exitioſæ cujuſdam ſtragis. Et veluti altera Pandora ſanguinem & mortem inter ſe commiſcuit, & ſuper civitatem Sichar miſerabiliter effudit: tunc nimirum quando ad vindicandam filiæ ſuæ illatam injuriam Simeonem & Levi adverſus Principem Hemor armavit, eumque transfixo per telum pectore è viventium numero ſuſtulit. Denique ſine pietate aut compaſſione aliqua quoſvis trucidavit obvios, fuitque ſtrages univerſæ urbis adeò univerſalis, ut ſanguinis flumina per vicos & plateas copiosè manarit, fueritque afflicta illa civitas ſimul & ſemel ſuo viduata Rege, & per civium aliorumque incolarum ejus mortem mortua pariter & deſolata: *Arreptis duo filii Iacob Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis, ingreſſi ſunt urbem confidenter, interfectiſque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt, & depopulati ſunt urbem.* Demum verò poſtquam interfectores ad prædas ſeſe applicuerunt, ſpoliarunt palatia, totam civitatem, quæ antea ingens quoddam erat divitiarum ærarium, omnibus pretioſis denudarunt, & emunxerunt. Matres quoque cum inclyto venuſtiſſimarum puellarum flore, & pueros adhuc balbutientes catenis ad invicem vinctos & adnexos, ad fatalem perpetuæ ſervitutis ſortem condemnarunt: *Parvulos quoque eorum, & uxores duxerunt captivos.* O quam fuit funeſta hæcce tragœdia, nullo alio quam ſanguineorum tapetum, & funeralium ac mortis proſpectivarum apparatu repræſentata. O miſerias nimiſque calamitoſas! O calamitates plus nimium miſerabiles! Una mulier tot malis portam aperuit; una mulier ruinæ Sichimitarum cauſa & occaſio fuit: *Propter raptum Dinæ occiſi ſunt habitatores illius à filiis Iacob.* Abeat igitur nunc alia quædam mulier (inquit Chriſtus) ad antiqua civitatis illius damna reſarcienda & reparanda; ſi Dina cauſavit mortem, Samaritana adferet vitam; ſi ab illa ſuam infortunia originem ſumpſerunt; ab hac fortuna mirabilis ſuum ſumet exordium. Si illa doloris ſpinas ſeminavit, hæc lætitiæ roſas demetere incipiet; denique ſi una mulier vulneravit, ſanabit altera. Unde Albertus Magnus: *Sicut olim una mulier extitit occaſio ruinæ totius civitatis Sichimæ, ita nunc una mulier eſſet cauſa ſalutis ac vitæ univerſæ civitatis ad Chriſtum converſæ.* Idque nullo alio fine à Chriſto ita ordinatum eſſe mihi firmiter perſuadeo, quam ut creaturæ agnoſcerent Deum noſtrum ea eſſe proprietate conſpicuum, ut ſciat ab eadem ſcaturigine, unde malum naſci ſolet, elicere bonum, & ab eademmet vipera, quæ vitii parturit vene-

venena, noverit virtutum efformare electuaria: *De veneno ſerpentis facit ſpirituale antidotum* (inquit Ambroſius) *ut quod venenum eſt, medicamentum fiat.* Vos interea à diſcurſus mei tenuitate, animarum veſtrarum profectum adaugere ſatagite.

3. Indubitatum eſt apud Philoſophos, quod omnis effectus determinatam ſuam habeat cauſam, à qua velut à ſecunda ſua genitrice progignitur. Radius producitur à ſole, lux & calor ab igne, vinum ab uva, arbor à ſemine, frumentum à ſpica, à ceſpite roſa: *Ens fit ex ente, animal ab animali, & ſimile fit à ſimili.* Scribit Albertus Magnus, qui idipſum ab Ariſtotele Philoſophorum doctiſſimo Principe didicit, qui naturæ eventus & effectus per experientiam obſervans, ſapientiſſimè nos docuit, quod *omnis effectus aſſimilatur ſuæ cauſæ*, id quod de cauſa univoca præcipuè verificatur: Veruntamen alibi idem Philoſophus ſignificare videtur, quod lux è tenebrarum ſinu ſuos natales produxerit: *Ex privatione fit habitus, & ex non ente fit ens.* Imò idem expreſſius declarat alibi, quod omnis effectus pro ſuo principio productivo cauſam aliquam cognoſcat non ſolum diſſimilem & diſparem, ſed effectui ſuo è diametro quoad eſſe & proprietates contrariam. *Omne quod fit*, ecce effectus productus, *à ſuo contrario fit*, hæc autem cauſa producens. Ita ex doctrina quam in Philoſophia tradit, ſufficienter colligitur, quod motus cauſa quietis, adeò ut ſi ille ſuo fine deſtituatur, hæc nunquam aliquod habitura ſit principium. Et quis eſt qui neſciat, quod ex belli tumultibus tranquillitas naſcatur pacis. Hinc eruditus ille emblema quoddam ex caſſide vel galea formavit, in quam apes favos mellis diſponere cœperant, cum hac Epigraphe: *Ex bello pax.* Denique ex diſſolutis & inordinatis hominum moribus, ſuam deducunt originem tam ſanctæ & benè ordinatæ leges, quæ veluti frænum delinquentes coercent; & hoc ſenſu Salvatorem dixiſſe exiſtimo: *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala, quia ſunt neceſſaria & utilia* (explicat Gloſſa) *ut qui per hoc probati ſunt, manifeſti fiant.* Et S. Paulus teſtatur neceſſarium eſſe ut hæreſes ſint: *Oportet hæreſes eſſe, id eſt, utile eſt fidelibus,* inquit S. Anſelmus, ut ex errorum falſitate, fidei veritas tantò manifeſtius illuceſcat: *Quapropter multi ut veritatem DEI videant, & gaudeant, per Hæreticos de ſomno excitantur.* Populorum tranſgreſſiones Lycurgis & Solonibus quaſi dederunt matricem malis inde oriundis per leges opportunas proſpiciendi. Unde legimus apud Macrobium, & ſolemne erat apud veteres proverbiũ, ut ſcribit Manutius: *Bonæ leges ex malis moribus procreantur.* Ita Ariſtoteles, & Cornelius Tacitus ait: *Uſu probatum eſt leges egregias, exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gigni.* Audite S. Paulum ad Corinthios ſcribentem.

*Macrob. in ſaturna lib. 3. Manut. in adag. fol. 399. Ariſt. lib. 2. Rhetor. Corn. Tacit. lib. 5.*

4. Hic etenim S. Apoſtolus graviſſimè adverſus quendam iratus, qui in prævaricandis Divinis præceptis nimis licentioſus factus, in illas uſque enormitates, de quibus vix homo ſine verecundiæ & ruboris larva loqui poteſt, prolapſus fuerat, ac proinde literam quandam ad Corinthios ſcribere decreverat, eo fervore & zelo conceptam, quo S. Paulus fulminare conſueverat, quando de Dei honore defendendo agebatur; ac proinde ſine ullis ambagibus aut præmiſſis præambulis, pennam arripit, & immediatè & ex abrupto talem arguere incipit dicendo: *Omninò auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes;* ac proinde cogor, ut ſolita manſuetudine mea depoſita, ſeveriſſimis exaggerationibus, ac unquam è calamo meo emanaſſe recordor, manum & ſtylum meum admoveam; vulnus enim contagioſum fieri cœpit, quia malum factum eſt publicum, ipſeque delinquens omne verecundiæ frænum excuſſit, Deique honorem pedibus ſuis ſubſtratum tenens, licitum ſibi eſſe arbitratur, quod ipſimet etiam exhorreſcerent gentiles Et quidem quod hac in re vel maximè me affligit, eſt, quod delictum iſtud neminem veſtrum magnopere angat & affligat; cùm tamen quiſquis ſalutis proximi & legum divinarum obſervantiæ zelo aliquantulum urgetur, idipſum ſub ſilentio diſſimulare, aut ſine adhibito remedio pertranſire nequaquam debeat. Enimverò niſi tam procul à vobis abeſſem, talem utique in eum animadverſionem inſtituerem, ut ſemper & perpetim mei recordandi cauſam habiturus eſſet. Nihilominus firmiter & reſolutiſſimè apud meipſum decrevi perverſum hunc hominem in manus Sathanæ tradere, ut is de eo id ſtatuat, quod facere novit & poteſt, eumque dirè tractet, prout ejus ſcelera jure expoſcunt: *Iudicavi eum, qui ſic operatus eſt, tradere Sathanæ in interitum carnis;* per quod S. Anſelmus intelligit *validam corporis afflictionem per Diabolum factam.* Ubi Cajetanus ait: *Hinc apparet punitionem hanc fuiſſe vexationem corporalem illius hominis uſque ad mortem.* Tantane te corripiat cholera, ô Paule? ubinam eſt charitas, quam à Chriſto crucifixo Domino tuo erga pecca-

*1. Cor. 5.*

*Anſelm. ibid. fol. 370 col. 2 lit. C. Cajet. ibid. fol. 116.*

tores

tores exercere didiciſti?tu in condemnandis delinquentibus nimium es præceps: Magiſter tuus ſanguinis pretio peccatorum reos redimebat è manibus Sathanæ eoſdem eripiendo & liberando, & tu eoſdem ejuſdem tyrannidi ultro conſignas; parum abeſt, quin te in doctrina Evangelica, quæ omnes nos charitatem docet, parum verſatum, aut practicum eſſe dicerem: Nolo tamen te ſententiando ea libertate uti, ſicut tu rigoribus uteris in corripiendo & caſtigando. Recordor etenim alterius cujuſdam facti, huic non multum abſimilis, è quo fortaſſe aliquod nobis mutuare lumen poterimus ad faciliorem hujuſce difficultatis intelligentiam; In libro Job, uti noſtis, legitur, Deum aliquando Dæmoni ad ſe accerſito, in manus ſuas unum ex chariſſimis amicis, fideliſſimiſque ſervis ſuis conſignaſſe, nimirum Jobum virum illum patientiſſimum:
*Iob.2.* *Ecce in manu tua eſt*, ô Domine, lapis eſſe deberet, qui hic à locutione ſibi temperare poſſet. Tu etenim probè tibi cognitam habes Jobi integritatem, ſcis quoque quantus hominis inimicus Sathanas ſit; non ita dudum ſatis apertè inſinuaſti quod illum in dilectiſſimorum amicorum numero repoſitum habeas, utpotè virum ſimplicem, juſtum & integerrimum, qui te ſuper omnia amet & timeat, & hac ratione illum tractas? Dæmoni illum conſignas, ut is ei ſanitatem eripiat, à vertice capitis ad calcem uſque pedis exulceret, armenta, meſſem, divitias & filios ejus opprimat, occidat, diſſipet, atque devaſtet, fiatque quædam oſſium miſerabilis cataſtrophe ulceribus macerata, & conſumpta à vermibus? O qualis eſt iſthæc tua juſtitia! Nunc ferè dicere auſim Paulum excuſabilem eſſe, quis is quem hic Sathanæ tradidit, ſceleratiſſimus erat, miſer autem & innocens Job quem unquam errorem commiſit? verum enimverò, ô Auditores, Dei noſtri actiones prorſus irreprehenſibiles, nec minus myſticæ eſſe noſcuntur. Sanctus Ambroſius dicit, Deum ex hoc quod Jobum in manus Sathanæ tradiderit, majus Jobi bonum
*Ambroſ. de pœnit. lib. 1 cap. 13. fol. 50 col. 1. lit. C. & D.* elicuiſſe: *Magna poteſtas, magna gratia; ex infirmitate & debilitate corporis vult ut naſcatur ſanitas & vigor ſpiritus*: *Ex infirmo fortiorem efficit, quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat*, vult item, ut putredo carnis ei ſerviat pro remedio animæ præſervativo: *Carnem ulcerat ſed cuſtodit animam*, ſimiliter ut venena miſeriarum à ſerpente infernali per omnia Jobi viſcera diffuſa in ſpiritus ſui mutentur medicamentum,
*Ambroſ. ibidem.* *ut quod venenum eſt ad interitum carnis, medicamentum ſit ad ſalutem ſpiritus*, concludit Ambroſius. O Paule, cum quanta prudentia te tuas es moderatus? verè in hoc evidenter probaſti, te verum cœleſtis magiſtri diſcipulum, cum dixiſti: Judicavi tradere hujuſmodi Sathanæ in interitum carnis, nam ſatis clarè video, quod ex jactura corporis ſecuritatem elicere volueris ſpiritus, & ex infortuniis & morte carnis, fortunam & vitam animæ: ut *ſpiritus ſalvus fiat; Dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat*, inquit Ambroſius; & in malo pœnæ verum invenit medicamentum ad liberandum ſpiritum à malo culpæ: *Niſi enim ejectus eſſet, non fieret ſalvus ſpiritus.* Id quod Theophylactus confirmat, dum ait, Paulum ex diabolicæ impietatis officina, ferrum producere voluiſſe, ad formandam clavem, quæ peccatori portam aperiat pœnitentiæ: *Nec Sathanæ prorſus hunc dicit dedendum ſed committendum, perinde ac ſi illi aperiat ad pœnitentiam fores.*

5. Eximiæ qualitates, quibus Joſeph filius Jacob prædítus erat, erant veluti magnes quidam, quo ad ſe affectum rapiebat paternum, adeò ut ei præ cunctis aliis fratribus in deliciis eſſet amoris, id quod in fratrum ſuorum pectoribus invidiæ incentivum erat; benevolentia enim patris lapis erat, in quo ferrum odii limabatur, & exacuebatur, quo poſtea ſimplicem juvenem conficere decreverant; hocque odium tanto majora ſumebat indies incrementa, quanto ægrius ſomnium præcedenti nocte habitum, & illis ſeriatim relatum ferre poterant, hoc enim cauſavit, quod animis adeò in Joſephi perniciem concitarentur, ut coram oculis ſuis illum diutius ſuſtinere non poſſent: unde ne eum videndi occaſionem haberent è domo paterna commigrare, & extra illam in ſylvis ad gregum ſuorum cuſtodiam ſubſiſtere decreverant, quo in loco miſſus à Patre ſuo Joſephus, fratres ſuos denuo quodam convenit, quem cum à longe vidiſſent, agitatis inter ſe conſiliis paſſionem illam, quam in ſecreto cordis ſui hactenus deliteſcentem conſervarant, per vultus livores & pallores manifeſtare, ejuſque rabiem in innocentem fratrem ſuum evomere cœperunt; unde nonnulli ſuadebant, ut per illatas ei violentas manus tolleretur è medio, quod tamen ex conſcientiæ remorſu facere diſſuaſi intermiſerunt, ut tamen ſecuros ſe redderent, eum nunquam ad illas evehendum eſſe dignitates, quæ ipſi cœlitus per ſomnium fuerant prognoſticatæ, mercatoribus Iſmaelitis eum pacta pecunia vendiderunt, qui de

Galaad venientes ſecum abduxerunt in Ægyptum: *Vendiderunt eum Iſmaelitis*, hacque ratione arbitrabantur omnem ei ſpem præciſam eſſe, pertingendi ad illa ſceptrorum & coronarum prognoſtica, in ſomno ei propoſita & promiſſa. O humanam malitiam, germanum fratrem vendere ad ejus impediendos honores, & præcidendam omnem viam, qua ad aliquod pertingere poſſet imperii faſtigium! verùm quid hic Deus fecit? voluit ut ab hac venditione, ſuæ acciperet fortunæ & proſperitates exordium; voluit inquam ut hæc venditio ei purpuram tingeret, margaritis & gemmis adornaret chlamydem, ſceptrum præpararet, & formaret coronas: *Venditus eſt ne adoraretur*, ſcribit Eucherius; at verò Deus, qui terram in aurum, lapides in gemmas transformare novit, quique ex perſecutionibus ſummam proſperitatem poteſt elicere, voluit hanc ejus venditionem cunctarum gloriarum ſuarum unicam eſſe genitricem; *ideò adoratur, quia venditus*; à ſervitute etenim Joſephi enatum eſt dominium, qua enim veluti mancipium quoddam venditus fuit, ideò Deus eum tanquam Regem ab omnibus honorari & adorari voluit; Eſtque hæc peculiaris Rabani Mauri obſervatio, dicentis: *Vincula tua quibus te fratres ligaverant, à Domino ſunt & diſrupta, ut ex tuo ſemine tribueretur Ephraim, fortis & ſtabilis, & inſtar adamantis durioris invicta, imperans quoque decem tribubus Iſrael.*

6. Cùm ſanctus Patriarcha Jacob proximus eſſet limini mortis, jamque vitæ ſuæ terminaturus eſſet Calendarium, filios ſuos in conſpectu ſuo congregari voluit, utpote quibus ultimam impertiri benedictionem, & ſingulis felicitates vel ærumnas quas in totius vitæ decurſu habituri eſſent, prædicere decreverat. Poſtquam autem ordo ad Joſephum perveniſſet, hunc in modum eum eſt allocutus: En fili dilectiſſime, ex hoc ſæculo ad alterius vitæ fœlix ſæculum tranſitum facio, corpus meum terræ, velut fatale tributum, ſpiritum meum verò totius univerſi Domino redditurus; pro ultimo paterni mei in te affectus argumento, decrevi te ô fili mi, ſtirpis meæ decus ſingulare, præ cæteris fratribus tuis ſpecialibus privilegiis condecorare. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & in arcu meo.* Scite etenim hoc loco, ô Auditores, deſidero, qualiſnam hæc pars fuerit? Forte Vexillum aliquod, enſis, ſcutum, vel aliud quoddam ſpolium ex præliis reportatum, & hactenus à Jacobo veluti generoſitatis ſuæ trophæum ſtudioſe conſervatum? Rabanus Civitatem Sichimitarum fuiſſe reſpondet, quæ ab aliquibus Sichem, ab aliis verò Sichar appellatur, de qua S. Joannes in Evangelio loquitur hodierno: *Dabo tibi partem unam, id eſt, Sichimam, quam emi in fortitudine mea, hoc eſt, in pecunia mea, quam multo labore & ſudore quæſivi*, Id quod valdè eſt conforme præſenti Evangelio, ubi dicitur: *Venit ergo* JESUS *in Civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar juxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.* Enimverò videretur mihi Civitatem hanc longe convenientius cuivis alteri è fratribus Joſephi dare potuiſſe quam huic Joſepho: ſciebat etenim civitatem illam quandam eſſe fœdam turpemque libidinis cloacam, omneſque Sichimitas carnis ſenſualitati apprimè deditos eſſe, ut vix ullus eorum reperiri poſſet, qui non eſſet turpiſſimis concupiſcentiæ ſordibus coinquinatus, cujus veridicum ipſamet ejus à Sichimitis notabiliter læſa & defœdata nominis ſui exiſtimatio dare poterat teſtimonium, quando Dina filia ejus irreparabilem in ea perdidit virginitatis ſuæ florem. Sciebat etiam qualiter innocens Joſephi vita inimica eſſet omnis carnis fætoris & putredinis, atque à ſimilibus carnis laſciviis admodum aliena, utpote cujus candor puritatis ſuæ, ipſamet quoque Lilia longè ſuperabat. Unde celebrans eum S. Ambroſius ait: Quod *adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehenſus aufugit: qui cum ab uxore Domini conveniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit, ac ne ipſa quidem verba diu paſſus eſt.* Quo igitur motivo adeò diſſoluta & laſciva civitas, honeſtiſſimo & modeſtiſſimo Joſepho conſignabitur? quod idem eſt, ac ſi Herminium in medio immunditiei commorari & habitare decreviſſet; fortè id fecit, quoniam de ejus conſtantia ſecurus exiſtens eum velut ſolidam ſyrtem vel ſcopulum inter medias concupiſcentiæ procelloſas undas immobilem futurum eſſe prævidebat, veruntamen quidquid hac de re verum ſit, conſiderare tamen Patriarcha debebat Joſephum verum & & fragilem hominem eſſe. Enimverò neminem hactenùs invenire potui, qui huic difficultati opportuniorem adferat reſolutionem, quam ſit illa quam Eucherius tradit, qui id ſingulari Dei permiſſione factum fuiſſe dicit, ut nimirum Joſeph è fætore ſenſualitatis fragrantiam eliceret caſtitatis; Ex lupanari erueret pudicitiam, ex proſtibulis pareret continentiam, ac

*Rab in Gen. li. 4. c. 14. f. 348.*
*Ioan. 4.*
*Ambr. de Ioſeph. Patr cap. 5 f. 96. co. 4 l. K.*

S. Euch. ap. Sylveira t. 2. li. 4. c. 5. q. 8. fol. 145 n. 44.

ac denique ut in medio libidinis ardore, flos germinaret virginitatis: *Ideò locum ſtupris & flagitiis vacantem ad incolatum ſanctorum verbis cœleſtibus & gladio capiens ſpirituali, ut ubi habitatores antea laſciviæ & Principes luxuriæ verſabantur, ubi fuerant incentiva libidinis & fomenta nequitiæ, ibi nunc ſancti Sacerdotes magiſteria doceant caſtitatis, & plurima virginalis integritatis exempla, quodam ſuperno lucis fulgore reſplendeant.*

7. Infœlix homo propter commiſſum à ſe peccatum in horrida lapſus eſt miſeriarum præcipitia, factus viliſſimum Principis infernalis mancipium; ut igitur à tot calamitoſis infortuniis tandem aliquando eriperetur, Verbi determinatur fœliciſſima incarnatio, ut factus homo hominem proprii ſanguinis & vitæ pretio redimeret, atque à morte liberaret: Inſuper quoque à tribus divinis perſonis decernitur, ut ad hoc ineffabile myſterium exequendum naſceretur Maria, quæ opera Spiritus ſancti Chriſtum in virginali utero ſuo conciperet: Verùm, inquies, quid opus erat ut ad Chriſti formationem Maria ejuſque puriſſimus ſanguis concurreret? nunquid enim Deus corpus aliquod perfectiſſimum creare potuiſſet, & quidem ſpecialis aliqua congruentia idipſum expoſcere videbatur; ſiquidem creatio recreationi correſpondet, ideoque conveniens fuiſſe videtur ut Deus ita ſe in creatione haberet ſicut ſe in recreatione & formatione hominis habuiſſe noſcitur, ubi *nullam naturam aſſumpſit*, & conſequenter idem quoque in recreatione vel redemptione hominis fieri debuiſſe videtur, idque tanto magis, ſiquidem Theologi docent, quod *ſine carnis aſſumptione, ſi voluiſſet potuiſſet nos liberare.* Unde ſi poterat nos independenter à noſtra humanitate & à Virgine Maria redimere, quo igitur tam humanitatem quam Mariam ad noſtram redemptionem adhibere voluit. Quoad primum punctum reſpondent Theologi, quod ſicut homo in miſeriarum ſe abyſſum præcipitavit, ita quoque conveniens fuerit, ut ab homine quodam, id eſt, à Deo incarnato reparationis ſua auxilia reciperet, dum is noſtras reparat ruinas, & ſicut homo per ferrum culpæ graviter ſemetipſum vulneravit, ita quoque Deus ille homo factus nos curaret per adhibitum proprii ſanguinis antidotum; Denique ſicut mors noſtra originem ſuam ſumpſit ab homine, ita quoque homo Deus morte ſua nobis reſtitueret vitam: *Cum incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſſignetur, convenientius dicitur incarnationis opus ordinatum eſſe à Deo in remedium contra peccatum.* Et huic Angelicæ Thomæ doctrinæ ſubſcribit quoque doctiſſimus Ægidius, dicens: *De ſtirpe illa, quæ erat vitiata, & per peccatum corrupta, congruum fuit Dei Filium aſſumere carnem, ut naturam ſic vitiatam & corruptam ſalvaret & liberaret.* Quod verò ad ſecundum punctum attinet, vult S. Bernardus beatiſſimam Virginem Mariam in inſtanti Incarnationis puriſſimum ſanguinem ſuum verbo ſubminiſtraſſe, ut ſicut mulier lapſus ſive ruinæ noſtræ origo fuit, ita quoque ſalutis noſtræ ædificium ſua pariter à muliere quadam ſibi ſumeret fundamenta, *ſi vir cecidit per fœminam eam, non erigitur niſi per fœminam.* Ut proinde ſicut una fœmina cauſa fuit malorum noſtrorum, ita quoque fœmina cunctorum bonorum fiat origo: *Mater generis noſtri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini noſtri ſalutem intulit mundo, auctrix peccati Eva, auctrix meriti* MARIA: *Eva occidendo obfuit,* MARIA *vivificando profuit: Illa percuſſit, iſta ſanavit.* Porrò ſuperius adductorum Patrum doctrinæ, præcipuè verò ea quam tradit Magnus Pater noſter Auguſtinus, qui tantam in mundo obtinet authoritatem, ſufficerent quidem, intactam tamen præterire non poſſum illam Chryſologi, Innocentii Papæ, & Hugonis doctrinam dicentium: *Cum de viro produxiſſet* DEUS *fœminam in perniciem, de fœmina virum producere voluit in ſalutem, ut quæ fuerat principium humanæ damnationis, eſſet principium reparationis.*

Damaſc. lib. 3. c. 2.

Arg. Argia in 3. diſt. 1. p. 2. arg. 3. in contr.

Idem ibid. diſt. 2. p. 2. dub. 1. fol. 6. col. 1. l. C.

D. Tho. 3. p. q. 1. a. 1. in concluſ. fol 3. co. 2. n. 20.

Idem ibid. q. 1. a. 3. f.

8. Verùm enimverò novum velim ex incarnationis myſterio ad propoſitum præſens formemus argumentum. Etenim Angelus quidam miſſus eſt ad Mariam Virginem ut altum adeò & ſublime eidem revelaret myſterium: *Miſſus eſt Angelus Gabriel:* ſcio equidem legatum aliquem negotii illius, quod nomine Principis ſui tractandum habet, conſcium eſſe debere, & tamen Angelus, licet myſterium hoc cognoſceret quoad ſubſtantiam ſuam, quoad modum verò circumſtantias illius imperfectam habuit hujuſce myſterii notitiam ut volunt Theologi, & docet S. Dionyſius. Præterea cum hocce infinitum myſterium ad favorem hominis conceſſum fuerit, congruentius futurum fuiſſe videbatur, ſi homo aliquis mitteretur, verbi cauſa, Propheta aliquis ſeu aliquis Patriarcha, vel quivis alius merito & qualitatibus eximie excellens, quales Deo non deerant mittendi: vel etiam quia myſterium ineffabile erat, poterat Deus immediatè

per

per ſemetipſum illud MARIÆ futuræ matri revelare. Multas equidem Scriptores ſacri rationes adducunt: Aliqui dicunt ! *ut Natura Angelica efferatur honore quæ injuria erat depreſſa, cum ex ea prodiiſſet Lucifer qui primos parentes à ſuo ſtatu dejecerat.* Cardinalis Toletus ait: *Quia* DEUS *aſſumere noluit naturam Angelicam ſed humanam, congruum fuit eos non omnino à tanti boni participatione excludere, idcirco nuntios effecit,* S. Gregorius Thaumaturgus ait: *Angelus cum virgine loquitur, ut non amplius cum muliere ſerpens loqueretur.* Vel etiam dici poteſt, quod ex quo jam diſcordia fuerit inter Deum & hominem, neceſſarium erat ut tertius quidam pacis fieret mediator. *Ergo multo convenientius extitit Angelus legatus quam homo, nam qui in bello erat conſtitutus, quomodo mediaret.* Et certè, ut inquit Bernardus adeò auguſtum myſterium à perſona tali qualis homo erat, non debebat tractari: *Tantum enim mandati myſterium, non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum,* cujus rationem facilè reddent S. Petrus Chryſologus & S. Hieronymus dicendo, quod inter virginitatem MARIÆ, & Angeli neſcio quænam parentela ſive cognatio intercedat: *Angelis eſt cognata virginitas.* Quæ quidem rationes, licet intellectui humano nonnihil ſatisfaciant, ad præſens tamen propoſitum nulla mihi aptior eſſe videtur ea quam per aliam quandam occaſionem adfert idem Ravennatum Archiepiſcopus dicens, ſcilicet id eſſe ſingulari Dei diſpoſitione, ut homo per eandem viam, per quam cucurrit ad mortem, ad vitam quoque rediret; nemo alius præterquam Angelus beatus cum Maria de humana agit ſalute, quia cum Eva ruinarum & malorum noſtrorum matre tractavit Angelus rebellis: *Ut homo curſibus eiſdem quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina.* Et B. Ægidius Columna idemmet aſſerit, dicens: *Quia ſicut Angelus malus fuit cauſa mortis ita bonus eſſet nuntius vitæ*; adeò ut natura Angelica quæ venena invenit, efficacia quoque adverſus illa nobis antidota attulerit.

9. Porrò nemo eſt qui neſciat, ô Auditores, quod ex peccato omnes noſtræ natæ ſint adverſitates & ærumnæ; peccatum etenim officina fuit, in qua cuſum eſt ferrum, ad nos ſive vinculis innectendos, ſive interimendos: ventus fuit Aquilonaris, per quem omnium fœlicitatum noſtrarum flores exaruerunt: Taberna fuit unde egreſſa eſt miſeriarum noſtrarum merces. Formidabilis quædam hydra fuit, qui è ſeptem horrendis capitibus venena, ad univerſam humanam progeniem contaminandam evomuit. Cerberus fuit triceps, qui contagioſos humores ſuos ab ore ſuo evaporando radicalem animæ virtutem, id eſt, gratiam totaliter conſumpſit. Flammivoma Æthna fuit, quæ corda noſtra nivibus congelari fecit charitatis erga Deum fervorem extinguendo, eademque igne accendit concupiſcentiæ carnalis: crudelis quidam fuit tyrannus, qui miſeriarum nos pane ſuſtentat, potentias animæ ligat & velut catenis innectit, eandemque gratia omnibuſque aliis bonis à benigna Dei manu liberaliter conceſſis ſpoliat & exuit. Judex quidam fuit indiſcretus & inhumanus, qui hominem iræ Dei reum fecit, ignorantiæ tenebris involvit, cœleſti gloria privatum Diaboli mancipium, flammarum gehennalium nec non atrociſſimorum tormentorum, quæ in inferno inimicis Dei infliguntur reum eſſe decrevit, ô infœlicem culpam ! ô impiam & crudelem Megæram ! ô venenoſum & horribilem Ceraſten peccatum, quod peſſimus & exitioſiſſimus noſtrarum fœlicitatum deſtructor extitit. Verum enimverò, Auditores, dicite ſodes, qua via tantis noſtris ruinis allatum ſit remedium? Unicum huic gravi malo medendo remedium Incarnatio Filii Dei extitit; Hæc fuit aurifodina illa in cujus viſceribus pretioſiſſima fœlicitatis noſtræ metalla invenimus. Hæc ſolum illud fuit, quod meſſem produxit meriti illius, quod gloriæ ſemen eſt fœcundiſſimum; Hæc fons eſt unde divinarum gratiarum aquæ ſuam acceperunt ſcaturiginem; Nubes eſt quæ à ſinu ſuo in nos rorem ſtillavit cœleſtem: virgultum eſt, quod ſpei noſtræ progerminavit florem: Arbor eſt quæ fructus nobis ſuaviſſimos, noſtriſque neceſſitatibus ſublevandis valdè opportunos produxit: Cælum eſt quod humanitatis noſtræ terram innumerorum beneficiorum ſuavi & placida pluvia irrigavit, vas eſt unguento ſalutifero & pretioſo, animæque vulneribus curandis efficaciſſimo plenum atque refertum; navis eſt omnibus ad ſtatus ſpiritualis conſervationem neceſſariis mercibus onuſta. Denique ærarium eſt & gaza, unde omnium bonorum, quæ humana deſiderare potuit mendicitas, theſauri eruuntur. Veruntamen ſiſtamus hic nonnihil, & unde verbum æternum incarnationis ſuæ nobis adeò neceſſariæ & utilis cauſam motivâ deſumpſerit, inveſtigemus. Enimverò prætereundo opinionem Scoti

*Scot in 3. diſt. 7. quæſt. 3.*

*D.Th.3. p q.1.a.3. Divus Thom. ibid.*

Scoti ſuorumque ſequacium, S. Thomæ Aquinatis ejuſque Angelicæ ſcholæ adhæreo, dicenti, tantum bonum Incarnationis *ſaltem occaſionaliter* ſuam à noſtra malitia habuiſſe originem; à noſtris defectibus id quoque natum eſſe, quod illorum eſt correctivum, denique à cauſa tam infauſta & infortunata adeò fœlicem proceſſiſſe effectum: *Si homo non peccaſſet, Deus incarnatus non fuiſſet*; Alii quoque huic Angelicæ doctrinæ ſe conformantes pariter dicunt: quod *intelligitur proviſio peccati abſoluta ſcientia viſionis præcedere prædeſtinationem Incarnationis, & præbere voluntati divinæ occaſionem ad eam decernendam, atque adeò Incarnationem habere connexionem cum peccato per modum effectus cum cauſa.*

*Ioſeph Racuſa in 3.pag. q.1. a 3.diſp. 28.fol. 203 col.2.lit.B.*

*Philip. Picinell.*

Ad eum modum (licet in diverſo genere) quo à fœtida radice flos quidam naſcitur fragrantiſſimus. Ac proinde cum peccata noſtra tanti boni cauſæ exiſtant, jure meritò dicere, & ſymbolum illud reperere poſſumus, quod vivax quoddam ingenium vas quoddam vitreum viperis ad theriacam conficiendam plenum cernens edixit, nimirum: *Salutem ex inimicis noſtris.*

*Luc.1.*

10. Nequaquam myſterio caret, quod ſanctus Lucas accuratè tempus & menſem ſpecificet, quo Verbum caro factum eſt, dicendo menſem illum ſextum in ordine fuiſſe *in menſe ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*; fuit autem menſis Martius, qui ſextus dicitur, quia computatur à conceptione Joannis Baptiſtæ, quæ contigit in fine Septembris, ut multi Patres volunt, adeò ut ab ultimo Septembris uſque ad 25. Martii ſex menſes interponantur, atque ideò S. Lucas ſcribit: *In menſe ſexto.* Quis hic non deſideret cauſam ſcire, cur ſacer Evangeliſta in ſpecificatione hujus temporis adeò diligens fuerit? Et quidem curioſitas idipſum ſciendi tanto magis in me augetur, ex quo ignotum mihi non eſt Modernum quendam animadvertere, *ſenarium menſem non vacare myſterio.* Imò ut hæc difficultas tanto majorem vim habeat, obſervandum eſt cum Alberto Magno & nonnullis aliis, quod Nativitas Chriſti contigerit in ſexta mundi ætate: *In ſexta ætate venit in mundum Chriſtus.* In Feria ſexta flagella pro nobis & tormenta ſuſtinuit: Hora ſexta crucifixus fuit in aſpero ligno crucis; Denique in hodierno Evangelio S. Evangeliſta Joannes ſpecialiſſimè notat, Chriſtum defatigatum ad procurandam mulieris iſtius ſalutem ad puteum conſediſſe Samariæ, quando hora ſexta erat. Et beatus noſter Simon de Caſſia ſingulariter hanc horam notat, utpote pluribus myſteriis, quàm minutis plenam: *Deſcriptio iſta temporis, non parvum myſterium tribuit ad contemplandum.* Multæ quidem ad hanc quæſtionem reſolvendam adduci poſſunt rationes: Gouſchelius dicit, quod *numerus ſenarius ſignificat abſolutionem peccatorum.* Atque ideò cum Chriſtus hoc præcipuè fine venerit, ut nos à peccatis noſtris liberaret, ætatem ſextam, menſem ſextum, diem ſextum, & horam ſextam elegit. S. Hieronymus numerum ſenarium labores & ærumnas ſignificare opinatur, cumque Chriſtus ad conciliandam nobis in tribulationibus noſtris conſolationem in hunc mundum venerit, ideò in præcipuis quas operatus eſt actionibus ſuis, hujus numeri accuratam obſervantiam habuit. Goropius aſſerit numerum ſenarium in ſe perfectionem includere, ac proinde de ſexto die dicitur, quod omnia creata *erant valde bona*: & conſequenter Chriſtum hunc numerum elegiſſe dicit, ad indicandum mundo, quod omnia opera ſua optimis meliora fuerint, atque in perfectione gradum ſuperlativum excellerint. Poſt haſce autem rationes & Modernus quidam ſuam opinionem profert aptam hic & ingenioſam; Etenim multi ſcriptores, & præcipuè B. Simon de Caſſia, S. Joan. Chryſoſtomus, & alii referunt Adamum & Evam peccatum ſuum hora ſexta commiſiſſe. *Sexta hora peccavit homo*, inquit Simon; & S. Joan. Chryſoſtomus dicit: *Erat hora ſexta cum Eva mandatum in Paradiſo tranſgreſſa eſt.* Unde patet quod præciſè in eadem hora qua mundus culpæ contagione coinquinatus fuit, ſuæ quoque ſalutis receperit remedium: *Sexta homo deliquit: venit etiam Dominus viſitare nos ſexta mundi ætate, ſexta die incarnatus, paſſus, & mortuus eſt. Sexta hora pullulavit delictum, ſexta etiam hora parat medicinam ad ſublevandam hominis miſeriam, & hora qua fœdata fuerat ignominia culpæ, condecoratur medicamine ſalutis*, ac proinde Chriſtus hora ſexta fatigatur, patitur ſitim, Samaritanæ ſalutem procurat, quia in fatali ſexta hora natæ ſunt in mundum omnes noſtræ miſeriæ. *Venit hora ſexta, quandoquidem & cum Eva mandatum in Paradiſo tranſgreſſa eſt, Hora erat quaſi ſexta, ideoque Samaritana ſervata eſt in fonte, eadem hora.*

*Dio.Car. in c.1 Luc. art.3. D. Ambr. Beda Bonavent. Theoph. Didacus Stella ibi. f 18.co 1. Alb. Magn.*

*B. Simon Caſſ.lib. 11.cap. 1.*

11. Congruè igitur de hoc profundo myſterio dicere poſſum, quod Poeta ſcripſit de ramo aureo: *Uno avulſo non deficit alter.* Porrò S. Joannes poſtquam pluribus egiſſet de Filii Dei generatione æterna, mox ad temporalem tranſi-

tum

tum inſtituit, de eadem hiſce verbis loquens: *Verbum caro factum eſt*. Valdè autem admiror quod accipiat denominationem ejus partis quæ caro eſt, & non potius denominationem ſumat à toto, id eſt, ab humanitate; potiùs enim dicere debuiſſe videtur: *Verbum homo factum eſt*: aut ſi omninò ab aliqua parte denominationem ſumere decreverat, deſumi debebat ab anima, utpote quæ dignior eſt & nobilior: *Denominatio debet fieri à nobiliori, & digniora ſunt præferenda*: juxta leges. Reſpondet Thomas, quod quia Manichæi veram Chriſti humanitatem negabant, affirmantes corpus ejus phantaſticum tantum eſſe vel fuiſſe, ideò Evangeliſta data opera dicere voluerit: *Et Verbum caro factum eſt*: ut eum veram carnem aſſumpſiſſe teſtaretur. Similiter Sanctum Joannem hiſce verbis hoc myſterium expreſſiſſe dicit, ad confutandum errorem Platonicorum qui eo tempore quo Sanctus Joannes Evangelium ſuum ſcripſit, adhuc vivebant, hi enim unionem ſuppoſiti Divini cum carne vel corpore humano negabant, ſed illud ſoli animæ unitum fuiſſe affirmabant, quo errore confutando expreſsè ſcribere voluit: *Et Verbum caro factum eſt*. Aut cum S. Cyrillo Alexandrino reſponderi poſſet, S. Evangeliſtam per carnem totum humanitatis noſtræ individuum compoſitum, quod ex anima & corporeis partibus eſſentialibus conſtituitur? Quorum ſenſu Joel Propheta loquebatur, dicens: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: ſæpè divina Scriptura ſolo carnis vocabulo integrum (ut ita dicam) & totum hominem ſignificat.* Verum enimverò S. Thomas hunc paſſum denovo exponens exiſtimat S. Joannem hunc terminum *Caro* uſurpaſſe, ad ſignificandum, quod ſicut à carne mors naſcitur, ita pariter à carne per Verbum aſſumpta venerit vita. *Homo per carnem infirmabatur, ideò Evangeliſta voluit inſinuare adventum Verbi congruum eſſe noſtræ reparationi, mentionem de carne ſpiritualiter fecit, ut oſtenderet quod caro infirma per carnem Verbi reparata fuit.* Cui doctrinæ Angelici Doctoris Cardinalis Hugo etiam conſentit dicendo: *Eadem via qua ingreſſus eſt morbus, panderetur medicina.* Eandem igitur ſpecie carnem, quæ adeò noxia extitit, utilem quoque eſſe voluit & proficuam.

12. Hujuſce diſcurſus veritatem majori cum evidentia ex vita & geſtis Salvatoris noſtri eruamus, hæc namque verum fuit actionum noſtrarum exemplar. Enimverò tres illi Orientales Magi audita fama qua paſſim novum quendam Regem in hunc mundum natum fuiſſe nuntiabatur, qui Rex futurus erat omnium Regum, mox decreverunt iter ad eum inviſendum & adorandum inſtituere, ſuaque diademata & ſceptra ejus pedibus ſubſternere; Quapropter de omnibus, quæ ipſis futura erant in itinere neceſſaria, providè & ſollicitè ſibi proſpexerunt, ac tandem poſthabita omni ſua regia magnificentia, relictis regnis in uno eodemque die ſummo diluculo, auroræ ortum prævenientes iter ſuum adoriuntur, tametſi pede valdè anxio & ancipiti, eò quod via qua ipſis eundum erat, omnibus eſſet ignota, cùm ecce inopinatè ſtella quædam coram ipſis comparet, quæ illis ducatum fideliſſimum præſtans, per totum iter illos præceſſit, & viam ſine ullo errore eis indicans ad veri Dei cognitionem illos perduxit: *Et ecce ſtella quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos, uſq; dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer.* Enimverò quis unquam ſtellas hoc munere functas fuiſſe audivit? verum quidem eſt, quod reſplendeant & illuminent, quod minentur, quod promittant quod influant: ſed quod partes expleant viæ ducis, quod præcurrant & comitentur per viam inauditum fuiſſe videtur: cur Deus illis non potius obviam miſit columnam igneam, vel nubem, prout olim factum eſt Iſraelitis per deſertum oberrantibus? aut cur non præſtitit illis viæ ducatum per Angelum aliquem, ſicut Tobiæ quando is profectus eſt ad Gabelum? vel ſicut Abacuc Prophetam per cincinnum vel comam capitis apprehenſum ad Danielis ſpeluncam tranſtulit? Et quidem tantò magis hunc ducatum per Angelum aliquem fieri debuiſſe videtur, cùm multi Scriptores exiſtiment hanc ſtellam novam à Deo recenter creatam, & ab Angelo quodam motam & agitatam fuiſſe; quid enim opus erat multiplicare haſce actiones vel miracula ſine neceſſitate, ſi hoc totum & expeditius, & cum minori labore fieri poterat ab Angelo. Audite quàm ſit S. Joannes Chryſoſtomus more ſibi ſolito delicatus in reſpondendo; Hic enim exiſtimat ſtellas fuiſſe cauſas, quod Magi è natione Chaldæorum oriundi, ut dicit Remigius idololatrarint adorando ſtellas, Deo autem vivo & vero dorſum obvertendo: *Quidam enim dicunt eos Catholicos fuiſſe, Chaldæi enim ſtellam pro Deo colebant*: vult igitur ut ſtella ſit mediatrix ad reſarciendum damna facta, cooperando ad hoc ut deteſtantes Idololatriam, verum deinceps adorarent Deum,

*Joel. 2.*

*Exo. 15.*

*Tob 9.*

*Abacuc.*

*Dan. 14.*

*Remigius in Cat. D. Tho. ibid.*

vultumq; ſuum & pedes ad ipſum converterent: Deus *ob deceptorum ſalutem per ea ipſa ſe coli paſſus eſt, per quæ illi dæmones ante coluerant, aliquamdiu illa in melius inflectens, ut eos paulatim & à conſuetudine ſua reduceret, & ad Philoſophiam perduceret altiorem.*

*Chryſoſt. ibi hom. 6. fo. 44. col. 2.*

13. Obſervavi hactenus perſæpè, quod unigenitus Dei Filius primos Apoſtolos è Galilæa elegerit; ac proinde apud Evangeliſtam Matthæum legitur: *Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ vidit duos fratres Simonem & Andream, & vocavit:* Mihi autem videretur Chriſtum hunc virorum pro Collegio ſuo Apuſtolico inſtituendo delectum potius ex quovis alio loco, civitate, terra, & Caſtello præterquam ex Galilæa inſtituere debuiſſe, maximè cùm ut docent Beda, Hugo & Euthymius gens Galilæorum fuerit barbara, rudis, inculta, vilis, & fæx, quædam plebeculæ cæteris omnibus pejor & deterior: *Inter cæteras terras Iudææ Gens Galilææ erat maximè barbara, ruſtica, rudis, & ignobilis.* Veruntamen complacuit Deo è luto ſeligere gemmas, aurum ex ſcoria, ex iniquitate perfectionẽ, è fæcibus hominum quintam eſſentiam, è fœtida radice odoriferas fruges, denique ex terra adeò perverſa, tales colligere fructus, qui omnes in ſe habeant perfectionum circumſtantias, quæ ad ſuperlativum bonitatis fructum exiguntur; Ex illa etenim regione, in qua infidelitas prævalebat, in ſuam ſequelam primos advocavit Apoſtolos, qui poſtea intrepidi verè fidei extitere defenſores: *Ex medio tantæ pravitatis ac incredulitatis tres Apoſtolos præclariſſimos eduxit; ubi enim abundavit nequitia, ibi ſuperabundavit & gratia: Petri etiam, Andreæ, & Philippi fides radicavit, quia cùm eſſent ex illa civitate, ubi incredulitas maximè regnabat, omnium primi Dominum fuere ſecuti.*

*Matth. 4.*

*Beda, Hugo Euthym.*

*Sylviera tom. 1. l. 5. cap. 6. qu. 10. n. 60.*

14. Salvator mundi è Synagoga digreſſus in domum ſe contulit Simonis, cujus ſocrus moleſtiſſima febri afflictabatur, nam præterquam quod eam ſine ullis induciis indeſinenter torqueret, viſcera ejus aſcendebat, adurebat fauces, totumque corpus adeò efficiebat langueſcere, ut nec dies nec noctes vel minimum habere quietis poſſet; Hanc igitur cæleſtis Medicus viſitatum abibat, & ad preces diſcipulorum ſuorum, *qui rogaverunt illum pro ea*, extendit dexteram ſuam, & apprehenſam illam ſanitati reſtituit: *Tetigit manum ejus & dimiſit eam febris, & ſurrexit & miniſtrabat eis.* Verum quærat hic non immeritò aliquis, quid opus erat, quod Chriſtus ad hoc pietatis opus implendum manum adhiberet? Nunquid voluntatis ſuæ ſufficiebat imperium? Num fortè timebat, ne ſi imperaret febri, illa ſeſe pertinacem exhibuiſſet & reluctantem? Quis hoc concipere vel cogitare audebit, cùm ad unius verbi *Fiat* prolationem, totum hoc univerſum è nihilo eduxerit, explanaverit fundamenta terræ, tenebras diſſipaverit, lucem conſpicuè prodire fecerit, incurvaverit cælos, arbores fructibus & floribus exornaverit, animalia quoque varia ad ornatum hujus universi produxerit, mare denique juriſdictionis ſuæ vaſtitatem longè lateque dilataverit; Imò ipſemet Dæmon licet Deo rebellis ſit, & voluntatem habeat ſuis præceptis è diametro oppoſitam, ei tamen promptiſſimè obedit. Ergone tam potens Deus ad pellendam febriculam aliquam inſufficiens erit, ut eam præcepto oris ſui abigat, opuſque habebit, ut manum quoque ſuam in auxilium advocet? Valdè id miratur Petrus Chryſologus dicens: *Quæ neceſſitas tangendi Chriſti erat, ubi inerat jus jubendi.* Utiq; manum ſuam extendere voluit, ut ſicut manus Evæ marito ſuo pomũ porrigendo cauſavit mortem, *ita* quoque manum ſuam eſſe voluit inſtrumentum adferens ſanitatem, & reſtituens vitam: *Tenuit Chriſtus manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu illius acceperat mortem, ut quod manus præſumentis amiſerat, manus repararet auctoris, ut acciperet indulgentiam manus, quæ carpſerat de morte ſententiam.*

*Luca 4.*

*Matth. 8.*

15. Bonus ille Iſraëlita, in quo dolus non erat Nathanael nomine, ſub meridiem ſubtus vireſcentem quandam ficum proſtratus recumbebat, cùm ecce Chriſtus licet tanquam homo præſentia corporali procul aberat, attamen tanquam Deus illi vicinus erat: *Cùm eſſes ſub ficu vidi te.* Unde Toletus: *Non dicit, novi te, ſed vidi; præſentiam Divinitatis ſuæ inſinuans, quæ ſubtus cunctis adſtat, & præſens omnia videt.* Aſpicit eum, & obtutu ſuo cor ejus penetrat, eumque juſtificat. Imò ex doctrina ſupradicti Expoſitoris deducitur, eum ſub umbra ficus jacuiſſe, quando Philippus eum vocavit, eique ut ad verum Deum accurreret, perſuaſit, prouti & fecit, dum illum Iſraëlis Regem confeſſus, & tanquam verum Dei Filiũ proclamavit: *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Hic autem ſcire deſidero, cur Chriſtus Nathanaelem ad veram fidem attrahere volens, tempus illud & horam exſpectaverit, qua erat ſub ficu? cur non vocavit illum exiſtentem in aliqua platea, vel in templo,

plo, vel in domo, in alio quovis loco? Augetur difficultas: Quia ſi Philipus tantus erat Nathanaelis amicus & familiaris, ut idem et Cardinalis aſſerit: *Philippus invenit Nathanael ſibi familiarem & amicum*, cur non ante vel poſt eidem loquitur, veracemq; Meſſiæ notitiam ei communicat? cur ficus illius occaſionem exſpectat? Quid converſioni Nathanaelis commune intercedit cum arbore ficus? ſcio quidem quod quia inanis erat, & nuda à frugibus, à Chriſto maledicta fuerit. Etenim modernus quidam exiſtimat ficum illam correſpondere alteri ficui, quæ erat in Paradiſo terreſtri. Per illam Dæmon occaſionem captavit exitium adferendi Adamo, ab hac Chriſtus occaſionem ſumpſit benefaciendi Nathanaeli; Illa arbore Dæmon uſus eſt ad condemnandum & in infernum præcipitandum hominem; Et eadem Deus utitur ad juſtificandum Iſraëlitam, & introducendum illum in Paradiſum: *Sub arbore hac vidit ſeductor primos parentes, & in peccatum detruſit, ſub umbra ficus videt Deus Nathanaelem, & ad gratiam vocat, ne arboris umbra minus ad vitam inſerviret quàm ad mortem.*

16. Chriſtus Dei Filius è cænaculo egreſſus, cum aliquibus diſcipulorum ſuorum in hortum ſe Gethſemani recepit, ut orationem ad Patrem ſuum æternum effunderet, faceretque præfationem operi Redemptionis noſtræ aliquatenus. Verum ſiſtite paulisper, ſiquidem non parva mihi hic difficultas ſubnaſcitur. Quo fine Chriſtus hanc ſibi incommoditatem adfert, quod maximè tempore nocturno, quando obambulationes per plateas non minus ſuſpectæ ſunt, quam periculis multis expoſitæ? Quod ad locum etiam orationis attinet, opportunius orationi ſerviviſſet templum, quàm hortus, ſiquidem templum *Domus orationis* appellatur. Præterea ſi volebat ordiri paſſionem ſuam, Synagogam potius ingredi, ſeque ſponte propria eorum dedere manibus debebat, qui tanta cum ſiti eum perquirebant, aut debuiſſet comparere coram tribunalibus, ubi mille injuriis afficiebatur Juſtitia, adeò ut nihil præter nudum nomen haberet: vel publicè ſe per plateas civitatis exhibere debuiſſet ſpectandum, hoc enim ſuffeciſſet ad aſſequendum intentum. Enimverò ex primo horto, quem unquam mundus vidit, id eſt, ex Paradiſo terreſtri, natæ ſunt omnium infortuniorum noſtrorum ſpinæ, juſtum igitur erat, ut etiam ex horto fortunæ noſtræ flores germinarent: occaſione peccati ſpes noſtra exaruit in horto quodam: eademque ſpes noſtra pariter in horto quodam, rigata Chriſti ſanguine, quando *Factus eſt ſudor ejus*, &c. revivīſcere & refloreſcere cœpit: *Hortus hic Paradiſum ſignificat, ubi hominum ruina incepit, ut etiam in Paradiſo & horto paſſio Domini, quæ ſalutis fuit cauſa ſumat initium*, inquiunt Cyrillus Alexandrinus, & Cardinalis Toletus; & Rupertus Abbas Tuitienſis, conſiderans quod prima actio quam Chriſtus in horto fecit, fuit actus quidam obedientiæ: *Pater, non mea ſed tua voluntas fiat*, quia actus primus quem fecit Adam, fuit quidem inobedientiæ actus contraveniendo divino præcepto, dici Filium Dei voluiſſe, quod ſicut hortus quidam cicutam produxit inobedientiæ, ita quoque obedientiæ virgultum in horto quodam germinaret, utpote malignitatis illius antidotum præſervativum. Audire verba ipſiſſima Ruperti: *Pulchre in horto voluit ſecundus Adam inveniri, quia videlicet primus Adam in horto ſcilicet in Paradiſo, qui interpretatur hortus, inobediens fuerat.*

Cyrill. Alexand. lib. 11. cap. 31. col. 571. lit. C. Tolet. ibid. in com. fol. 367. Matth. 26. Rupertus Abbas lib. 13. cap. 18.

17. Enimverò quod ad ſacratiſſimam Chriſti mortem attinet, duas potiſſimum circumſtantias obſervari velim, ſcilicet primo quod in Cruce mori voluerit: ſecundò, quod mortuus ſit expanſis brachiis. Quod ad primam attinet, ſcio quidem Patrem æternum voluiſſe, ut Chriſtus pro redemptione peccatorum moreretur, non tamen eum ad Crucis mortem ſubeundam coëgit: veritas etenim figuræ ſuæ correſpondere debet, hæc autem in ſacrificiis conſiſtebat, in quibus victimæ gladio vel cultro diſſecabantur, & ſectæ partes redigebantur in cineres, ex quo autem in Cruce mortuus eſt, nequaquam figuratum figuræ ſuæ correſpondiſſe videtur. Porrò S. Thomas dicit, quod *Altare holocauſtorum, in quo ſacrificia animalium offerebantur, erat factum de lignis*, & hoc modo veritatem figuræ ſimilem fuiſſe, & tandem concludit, quod *fuit congruum ut is, qui pro omnium ſalute moriturus advenerat, & pro peccato primi hominis ſatisfacturus, non aliâ quàm mortē Crucis pateretur*. Cujus multas quidē adducit rationes quas brevitatis cauſa prætereo. Potiſſima autem juxta S. Hieron. & Damaſcenū, ratio hæc eſt, ſcilicet quod cùm primi noſtri parentes de ligno vitæ mortis ſibi venena attraxerint, congruum erat, ut Chriſtus per mortem ſuam electuaria educeret ſalutis & vitæ: *Vt medicina*

D. Thom. 3 p. qu. 46. art. 4.

*morbo*

*Hieron. ad Galat. 3. Damaſc. lib. 4. de fide cap. 11.*

*morbo reſponderet, fuit lignum cauſa mortis, ſit ergò lignum cauſa vitæ.* Quod verò attinet ad brachiorum manuumque extenſionem dicit S. Auguſtinus Chriſtum Evæ peccantis figuram in ſe repræſentare voluiſſe, quando in pedes erecta unam manum extendit ad arborem pomum decerpendo, alteram verò ad maritum extendit, idem illi pomum porrigendo ad manducandum. Unde ſicut fœmina manus ſuas extendendo, nos in ingens quoddam conjecit malorum diluvium, ita Chriſtus manus ſuas extendendo in arbore Crucis, ingentem nobis contulit bonorum copiam & plenitudinem, ut S. Pater noſter Auguſtinus docet, cùm ait: *Sicut totum corpus motũ eſt ut manus ad vetitum extenderentur, ita corpus Chriſti per omnia membra ſua in Cruce diſtenderentur, & totum quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hoc emplaſtro conſolidaretur.*

*Auguſtin. ſerm. 19. de Annunc.*

18. Denique omnes Redemptoris noſtri actiones factæ ab eo tam in vita quã poſt mortem, ad hanc quàm in præſenti diſcurſu vobis propono veritatem confirmandam directæ videntur, ſpecialiter quidem ut ſint medicamenta præſervativa contra venena ab Eva in nos derivata. Enimverò poſtquam Chriſtus mortuus eſſet, miles quidam *dubitans fortaſſis an mortuus eſſet,* inquit Cyrillus Alexandrinus, forti quodam lanceæ ictu latus ejus aperuit: *Lancea latus ejus perforavit;* Verùm inquies, nunquid ſacratiſſima Chriſti humanitas in alia corporis parte, quàm in latere, aperiri potuit? Reſpondeo quod quia ex latere Adæ formata fuit fœmina illa quæ noſtræ eſt damnationis cauſa: *Tulit unam de coſtis ejus, & ædificavit in mulierem,* ideò Chriſtus ſibi quoque latus aperiri voluit, ut per hanc portam egrederentur ſacramenta media ad ſalutem noſtram conſequendam optimè proportionata; *Vigilanti verbo Evangeliſta uſus eſt* (inquiens S. Auguſt. & Beda) *Ut non diceret, latus ejus percuſſit, aut vulneravit, ſed aperuit, ut illis quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt ſine quibus ad vitam quæ verè vita eſt, non intratur.* Et Euthymius ſubjungit: *Foditur lancea in latere Salvator, ut Evam lateris ſui vulnere à plaga lateris ſanaret.* Porrò Chriſtus pro confirmatione fidei noſtræ, & ad implendum id quod prædixerat, glorioſus & immortalis poſt triduum mortis reſurrexerit ad vitam, voluitq. mulieres tantæ lætitiæ annuntiatrices eſſe, quam adeò fœlix nuntium toti mundo allaturum erat. Dicat hic aliquis: Ergone mulieribus commiſſum eſt munus reſurrectionis myſterium prædicandi? Cùm tamen Apoſtolus mulieribus nequaquam permittere velit, ut huic ſe officio ingerant, dum ait: *Mulieres in Eccleſia taceant.* Ergone mulieres magiſtræ evadent virorum, docendo eoſdem veritatem Dominicæ reſurrectionis? Quis hanc eis licentiam induſit, quàm Apoſtolus iiſdem expreſsè denegavit, dicens: *Docere mulieribus non permitto.* Reſpondeo igitur officium hoc myſterium prædicandi nemini aliorum præterquam mulieribus debitum fuiſſe, ut docent Sanctus Thomas, & S. Ambroſius, ut ſicut mulier quædam nos deſtruxit & evertit per mortem, ita quoque mulieres nos lætificarent & conſolarentur per gaudioſiſſima glorioſæ Reſurrectionis Chriſti nũtia: *Sicut mulier primo initium mortis ad hominem detulit, ita etiam decuit, quod primo vitam Chriſti reſurgentis in gloria nuntiaret.* Et S. Ambroſius cum non minori vivacitate dicit: *Per os mulieris mors ante proceſſerat, per os mulieris vita reparatur.*

*Cyrillus Alexandr. cap. 3 fol. 62 col. 2. lit. D.*

*Ioan. 19.*

*Gen. 3.*

*Auguſtin. ibid. & in Cat. Div. Tho. ibid. Beda ibid.*

19. O igitur fortunata Samaritana, quantopere chara patria tua tibi eſt obſtricta & obligata, utpote cui omnia bona ſua in acceptis referre debet; per te namque civitas tua tanquam Chriſto fideliſſima in præclaro illo fidei curru ovans & feſtiva triumphat; ad vocis tuæ ſonum perterrefacta errorum exercitum fugit, campum infidelitatis deſeruit, & quam in civium cordibus Idololatria ſtationem habebat evertit. Permitte igitur ut debitas referat Betulia gratias Judithæ eam à formidabilibus Holofernis manibus liberam arcus erigendo triumphales, tu enim invicti Chriſti bellatrix cives tuos à tyrannicis Infernalis inimici manibus liberaſti, eoſdem à cæcitatis tenebris ad veram Catholicæ fidei lucem perducendo, dum hiſce eam verbis ad Chriſtum attraxiſti: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæ feci;* dum tibi ſufficere videbatur quod etiam honoris & exiſtimationis tuæ impendio animas concivium tuorum lucraris, utpote theſaurum ipſamet vita corporali longè æſtimabiliorem. Verùm enimverò quantùm, O Auditores, veritati conſonat id quod quondam eruditus ille ſcripſit, ſcilicet quod *Nocumenta fiant documenta.* Quot etenim mulier hæc Samaritana olim ad Deum offendendum pertraxit, & quot nunc eademmet ad veritatis notitiam & æternæ ſalutis ſemitas perducit?

docuit? quot corda quondam ab ipſa per carnis ſpurciciem prophanata fuere, & quot nunc in totidem transformantur ſacra Altaria in quibus omnes quaſi Samaritani voluntatis ſuæ victimam Salvatori noſtro devotiſſimè offerunt? Serviat tibi ò Chriſtiane, mulier hæc Evangelica ad æternæ ſalutis tuæ documentum. Pondera totam vitæ tuæ inordinatas diſſolutiones tuarumque culparum enormem gravitatem, & conſiderando, quam ſint iniquitates tuæ abominabiles Deo, tuæque animæ perniciosæ, forma tibi ex iiſdem motivum virtutis, deteſtando eas in futurum & diſce venenum culparum tuarum transformare in theriacam pœnitentiæ humilitatis, aliarumque virtutum, & peccatorum commiſſorum viperas in antidotum quoddam præſervatum convertere, quo mediante animam tuam in gratia divina poſſis conſervare; ſic enim vere experieris quod vulnera animæ tuæ inflicta tibi non minus quam Jaſoni Theſſalo latura ſint ſanitatem: *Vulnus opemque ferunt*; poterisque dicere cum illo quondam Philoſopho: *Perieram niſi periiſſem*, ab eo, qui mortem ſibi inferre machinabatur, recipiendo vitam.

## PARS SECUNDA.

10. Hic autem cæleſti politicæ & doctrinæ Evangelicæ, peccatores è diametro opponuntur, ſeque illius eſſe declarant infenſiſſimos hoſtes, dum velut aranearum imitatores, cum naturæ contrariantes loco mellis venena è floribus eliciunt & exſugunt, ſcilicet ex virtutum floribus, malitiam ex bonitate ſibi comparantes; adeò ut cum divina benignitas prodigam clementiæ ſuæ manum ad eos extendit, ipſi qui inde in amorem & obſequium Dei trahi debebant, inde ſibi occaſionem captent ſuam quotidie temeritatem magis magiſque adaugendi. Unde Tertullianus ait: *Redundantia clementiæ cæleſtis libidinem facit humanæ temeritatis.* (Tertull. de pat.) Benefaciat illi Deus quantum vult & valet, ejus tamen beneficia convertentur in eſcam qua is malignitatis ſuæ flammas quotidie magis magiſque adaugeat: *Suſceptis beneficiis, quod extremæ vitioſitatis eſt, ad malignitatem incitantur.* (Chryſoſt. hom. 44. in Matt.) Enimverò Jeremias Propheta exaggerare volens, quouſque aſcendiſſet multitudo peccatorum Jeruſalem, hæc ſibi verba uſurpat: *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam facit malitiam ſuam.* (Jerem. 6.) Sicut enim æſtivo tempore aqua in ciſterna valde frigeſcit: ita tales populi in cordibus ſuis malitiam ſuam valde infrigidarunt. Veruntamen hunc Prophetæ loquendi modum, ut verum fateat, non ſatis intelligo, eſt etenim ſimilitudo nimis occulta, nimiumque difficilis metaphora, quæ proinde ponderationem à nobis non vulgatem requirit. Quidnam enim commune habet frigus aquæ in ciſterna, cum Jeroſolymitanorum malitia? Pater Ghiſletius, imò omnes Philoſophi dicunt frigus illud oriri in ciſternis per quandam antiperiſtaſin, id eſt, à certo quodam conflictu, quem calor & frigus mediantibus qualitatum ſuarum armis inter ſe habent. (Ghiſlerius.) Porrò habent & mali talem inter ſe antiperiſtaſin, ut nunquam alter alteri obviet, quin eundem quoque injuria afficiendo offendat, nec digladiantur inter ſe niſi cum pacto, quod dum manus inter ſe conferunt, victus non ſe dedat, donec in eo manſerit vitalis ſpiritus, nec alter ſe victorem vocet, niſi prius ultimum videat perdentis exterminium. Calor à planetarum Rege diffuſus ad certandum cum frigore ſe præparat virium ſuarum copias coadunando, & audacter terræ viſcera penetrat, & præſumptuoſus primos frigori facit inſultus, ut hoc in profundum ciſternæ ſe ſubducere cogatur ubi ſub murorum præſidio ſtationem ſuam vigilantiſſime cuſtodit atque tuetur in humida aquarum planitie; Non eſt adeò præſumptuoſus calor ut vires ſuas frigori imperii ſui nutibus ſubjiciendo impendat, ſiquidem frigus intrepide faciem ei obvertit, & in conſpectum adeò formidabilis inimici ſui exporrecta fronte procedit ſemper proficiendo, certiſſimeque augurando ei futurum ut vel turpem & verecundam mox inire fugam, vel debilitatis viribus victas dare manus debeat, unde gelidos humores ſuos in ſuperficie undæ recolligens ibidem velut in campo Martio ultima edit virium ſuarum ſpecimina. Quantumque calor cum fervore paulatim proficit, tantundem vigor quoque frigoris creſcit, videturque hoc ab illius incremento vires ſemper majores accipere. Unde tandem conflictum ſuum in admirabili quadam antiperiſtaſi terminat. Ecce tibi modo revelatum myſterium, & ſubminiſtratam metaphoræ Jeremiæ intelligentiam, quæ dicit: *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, &c.* Quaſi dicere vellet, ſicut frigus in medio ciſternæ alicujus clauſum, à calore occaſionem accipit ut intenſius & vehementius evadat, ita pariter peccatores adver-

adverſus bonitatem & virtutes dimicantes efficiunt, ut ab hiſce malignitas eorum vires quotidiè majores accipiat. Exhibeat Deus illis favores, hi eis ſervient velut incentivum quoddam per quod venenoſiores evadant, ſit Deus erga illos fervidus, amoris ſui affectus eis demonſtrando, ipſi per hoc non incaleſcent amore erga Deum, ſed potius frigidiores ſemper in Dei amore fient; imò Dei erga nos amorem arripiunt veluti fomentum quoddam majoris in Deum odii atque aversionis: O quam malignans eſt hæc antiperiſtaſis: *Quo nitidius & ardentius ſol juſtitiæ circa nos ſplendet, & beneficentiæ ſuæ radios opulentius emittit; quando credi poterat, ipſos æſtuare præ amore virtutis, tunc, tunc quidem corpore contrahuntur, & frigidius algent in pietatis ſtudio: de benefaciendi fervore torporem haurimus, de calore algemus.*

*Didac. de Celad. in Tob. c. 13. n. 7. §. 423. n. 3. fo. 678. co. 1.*

21. Deus Opt. Max. mundi peccatis graviter offenſus, tandem decreverat eundem per univerſale quoddam diluvium caſtigate; veruntamen ne pœnam hanc nimium acceleraſſe videretur, centum viginti annorum ſpatium peccatoribus indulſit, ut reſipiſcere & emendare ſe poſſent: *Erunt dies illius centum viginti annorum.* Dicite ſodes Auditores, quonam modo peccatores ſe eo tempore habuiſſe exiſtimatis? Num forte ſacco ſe induerunt? aut comam capitis fortaſſe aſperſerunt cinere? aut cœperunt mortificationibus operam dare? jejuniis ſe macerarunt? aut egerunt de malefactis ſuis pœnitentiam? vel poſtularunt à Divina majeſtate læſa veniam & remiſſionem? vel mitigare iram furoremque temperare ſtuduerunt? Nequaquam; Imo prorſus fecere contrarium; nam à ſupplicii prorogatione, & a Dei clementia nefandum quendam majora indies ſcelera committendi auſum induerunt. Unde Baſilius Seleucus ait: *Hi vero fruſtra fluentium annorum numerum deſpexerunt, ipſa opportunitate pœnitentiæ in impietatis patrocinium converſa: maleficiorum accumulatio, ſuppliciorum erat amplificatio.* Faciant Moyſes & Aaron per prodigioſam virgam ſuam, tot in mari, terra, Cæloque miracula quot voluerint, ut Pharao tandem divinis obediat mandatis, atque ab ipſiſmet Creaturis inſenſibilibus obſervare diſcat divinæ nutus voluntatis; videbunt namque illum mirabili correptum antiperiſtaſi, ex illis ſignis venena elicitorum eſſe, adeo ut protervior futurus ſit, fiatque cor ejus in obſtinatione durius ſemper & durius: *Induratum eſt cor Pharaonis tot prodigiis factis* (inquit Euthymius) *Pharao cum ſuis ad extremum malitiæ percurrit.* Sic quoque Chriſtus Zachæi domum ingreditur, qui princeps & caput erat publicanorum; & ecce mox inter omnes id videntes de hoc facto ingens murmur ſuborſcitur. Ille namque dicebat; ſi hic eſt ſanctus, quomodo igitur ſe publicanis aſſociat genti adeo perverſæ & omnibus abominabili? Hic alias paupertatem commendat (ſubjungebat alter) interea vero ditiorum hominum domos ingrediens, eorum ambit familiaritatem. Prohibet negotiationes & commercia illicita, cum tamen uſurariis conſentiat. *Et cum viderent omnes murmurabant, quod ad hominem peccatorem divertiſſet.* Quæro hic, num hoc, quod eſt Chriſtum domum Zachæi intrare actio ſit bona & laudabilis, an vero mala & reprehenſibilis? Non poteſt dici mala, quia omnes ejus greſſus myſtici, irreprehenſibiles & ad animarum ſalutem Deique gloriam directi erant: bonæ ergo erant, & laudabiles, ac ſanctæ, quis dubitat? Videte igitur quonam uſque peccatoris excreſcat malitia, quæ ex bonitate filii Dei occaſionem captat murmurationis & vituperii: *Fuit eis murmurandi materia, quod erat occaſio ſalutis,* inquit Chryſologus. Idemmet Dei filius pauperem hominem quendam paralyſi oppreſſum, & miſerabiliter in lecto jacentem immobilem conſpiciens pietate motus, ad eum cunctandum dixit ei: *Confide fil remittuntur tibi peccata tua.* Nonnulli porrò nonnulli ſcribæ qui præſentes aderant ſe mutuo aſpicientes; convitiari cœperunt Dominum, eum tanquam blaſphemum reprehendendo dicentes: *Hic blaſphemat.* O perfidi ſcribæ, ex eo quod Dominus noſter huic miſero infirmo benefaciat, mundando eum à peccatis, vos conſequentiam quandam adeò peregrinam, temerariam & falſam deducere non erubeſcitis. Ex adeo ſalubri antidoto, quale eſt, *Remittuntur tibi peccata tua,* vos adeo perfidum exſugitis venenum, dicentes: *Hic blaſphemat?* Sed quid mirum Auditores; Hæc eſt hominum ſceleratorum ſolemnis conſuetudo: *Iniquorum ingenium omne namque bonum in mortiferum venenum convertit, & ſalutiferum Domini verbum, Remittuntur tibi peccata tua, in contumelias & blaſphemias retorquet.*

*Geneſ. 6.*

*D. Baſilius Seleucus orat. 5.*

*Oecume nus.*

22. Verum enim vero cur impium & venenoſum Ceraſten, Judam dico, ingens illud iniquitatis monſtrum pertranſeo? Hic namque ut Magiſtrum ſuum in manus traderet inimicorum ſuorum, militibus qui eum comitabantur inſinuavit, ut eum firmiter & cautè tenerent, & aggre-

& aggrederentur, quem ipſe pacis oſculo honoratus eſſet: *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*: Itane? illum quem tu oſculaberis conſtringent? Ergone efficere audes, ut ex oſculo, quod amoris & benevolentiæ ſignum eſt, natur adeo exectabilis Domini & Dei tui proditio? ex oſculo pacis miniſtro, & concordiæ mediatore tu traditiones & militiæ ſtratagemata elicis? *Oſculo tradis?* (interrogat Ambroſius) *hoc eſt, amoris pignore vulnus infligis? & pacis inſtrumento mortem irrogas*: Ego autem hoc loco obſervo verba, quæ Salvator noſter Judæ dixit: *Iuda, oſculo Filium hominis tradis?* quaſi inſinuare voluiſſet traditionem ſuam adeo turbulentam futuram non fuiſſe, ſi ipſum abſque ſui oſculo tradidiſſet: at vero quod ad bellum movendum, & inſidias ſtruendas oſculum adhibeat Chriſtus, quantumvis ad tormenta flagellorum, ſpinarum, pluſque crucis promptiſſimus eſſet, ſuſtinere non potuit: *Ac ſi non tam ægrè ferat Chriſtus ſæviſſima paſſionis cruciamenta, quam amoris pignore, benevolentiæ ſpecie, & virtutis prætextu illum tradere, & in illum ſævire*, inquit gravis quidam ſcriptor. Et quam eſſe cauſam exiſtimatis quod tum in Sabbato ſancto Miſſa ſolemniter cantatur, in qua omnia ad Paſſionem Chriſti ſpectantia vivaciter repræſentantur, cur inquam in illa Miſſa Pax non detur? Cauſa hujus illa fuit, quia quod Judas pacem adhibuerit ad machinandam Magiſtri ſui traditionem, adeo vehementer Dei filio diſplicuit, ut non voluerit de hoc literaliter, ne figurate ullam loquendo mentionem fieri. *Non datur Pax in deteſtationem oſculi proditoris*, inquit Durandus. Durand. lib. 6.

23. O quot inveniuntur, qui bono utuntur tanquam medio ad committendum malum! quot, quot, inquam, ſunt, qui ex virtute vitia, ex ſanctitate peccata eliciunt. Enimvero hic inter nos confidenter loquamur: Dic ſodes ſanitas & divitiæ quas Deus adeo liberaliter tibi donavit, quo fine tibi inſerviunt? Num forte illa uteris ut tanto majori cum fervore Divinæ Majeſtati inſervias? Haſce vero in pauperum adminiculare ſubſidium impendis? Utinam ego mentiter, ambobus Dei donis uteris tanquam medio quodam ad ſatiandam effrænem carnis tuæ laſciviam & libidinem. Hoc, quo tanquam miniſter Juſtitiæ fungeris, officium, nunquid à te adhibetur tanquam medium ad deprimendum pauperes, conculcandas viduas, & dejiciendos pupillos? Quonam fine ad hanc vel illam te recipis Eccleſiam? forte ex fine vel motivo religionis, vel devotionis, ut ſcilicet lucreris indulgentiam? Minimè gentium. Sed potius quia in illam concurſus inſtituitur domicellarum, ut illarum aſpectu oculos tuos paſcere poſſis: vel ut negotium aliquod concludas, quod ne in plateis quidem tractare liceret; adeoque ex devotionibus & indulgentiis, quæ ſunt ſpiritualia animæ tuæ remedia, tu peccati venenum elicis, ut tibi mortem adſciſcas: abſit, abſit à vobis hæc politia Diabolica, & *Æmulamini Chariſmata meliora*, eruite ex terra aurum, non vero ex auro terram excerpito.

Dom. 5. Paſch. fo. 243. n. 7.

---

## S E R M O XXII.

# IN DOMINICAM IV.

## QUADRAGESIMÆ.

*IESUS ergo cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Joan. cap. 6.

1\. DUm homo ex utero materno in hunc mundum naſcitur, tria potiſſimum in corde ſuo deſideria ſecum adfert. Per primum ambit in anguſtia intellectus ſui omne objectum intelligibile comprehendere, & ad ultimas ſive atomas uſque rerum differentias omnium intelligibilium notitiam habere: *Omnia ſcire cupit*; unde fortè Ariſtoteles occaſionem ſumpſit aſſerendi, quod *omnis homo natura ſcire deſiderat*. Per ſecundum ſe infeſtiſſimum non eſſe inimicum declarans, ſemetipſum in hoc mundo æternare, & omnium futurorum ſæculorum eſſe hæreditare, licet fruſtra & in vanum deſideret, Ariſtot.